

**De peditu ; eiusque speciebus crepitu & visio : discursus methodicus, in  
theses digestus / quas præside claris viro, Bombardo Stevarzio,  
Clarefortensi, defendere conabitur ; Buldrianus Sclopetarius ...  
Disputabuntur autem aedibus Divæ Cloacinæ, à summo mane, ad noctem  
usque medium.**

### **Contributors**

Sclopetarius, Buldrianus.  
Stevarzius, Bombardus.

### **Publication/Creation**

Clareforti : Apud Stancarum Cepollam : ..., Anno M. DC. XVII. [1617]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/a3wsxjwq>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

D E P E D I T V;  
E I V S Q V E S P E C I E B V S  
Crepitu & Visio:

DISCVRSVS METHODICUS,  
In Theses digestus:

*Quas*

Præside clariss. viro,

BOMBARDO STEVARZIO,  
*Clarefortensi,*

*Defendere conabitur;*

BULDRIANUS SCLOPETARIUS  
*Blesensis..*

*Disputabuntur autem in Aedibus Divæ Cloacinae, à summo Mane, ad noctem usque medium.*

Habes hic Lectio materiam plausibilem ; sed & maximè utilem, non tantum philosophis & medicis, quorum hæc tractatio maxime propria est, verum etiam Theologis, Iurisconsultis, tum Poetis, Criticis, Grammatoculis, Nomenclatoribus, Musicis, tam Figuralistis quam Choralistis, & tam Cantoribus quam Symphoniacis, Tibicinibus, Tubicinibus, Liticinibus, Buccinatoribus, Vtricularijs, & ne muktis morer, tam fœminis quam masculis omnibus, tam laicis, quam clericis. Singuli enim hic habebunt, quod eos juvet.



C L A R E F O R T I

Apud Stancarum Cepollam : sub signo Divi Blasij.

Anno M. DC. XVII.

# N O P S I S H V I V S

## Disputationis vel Discursus.

<i>En hac disputa- tione agitur de Pe- nituum</i>	<i>1. Defini- tionibus &amp; Di- visionibus, Quis sunt vel</i>		<i>Magni, &amp; dicun- tur Plenivoca- les, Barren- fürz / qui sunt vel</i>	<i>Vocales, qui propriè dicun- tur crepitus, Hallautende fürz / sunt &amp; vel</i>	<i>Parvi, &amp; dicun- tur Semiyoca- les, Brommer / qui rursus vel</i>	<i>Simplices, Germ. Arßnollen.</i>
<i>En hac disputa- tione agitur de Pe- nituum</i>	<i>2. Effectibus qui vel sunt</i>		<i>Muti, ( &amp; dicuntur propriè Visia) Pfeister / Et sunt vel</i>	<i>Boni.</i>	<i>Ubi simul agitur Quomodo</i>	<i>Diplathongi, Germ. Verrenckte ger- bissene fürze.</i>
<i>En hac disputa- tione agitur de Pe- nituum</i>	<i>3. Signis, qua sunt vel</i>		<i>Mali.</i>	<i>Intermedij.</i>	<i>Promoveantur Boni.</i>	<i>Liquidi, Drempfer Sicci, Schleicher.</i>
<i>En hac disputa- tione agitur de Pe- nituum</i>	<i>Apodictica.</i>		<i>Necessaria.</i>	<i>Probabilia.</i>	<i>Caveantur Mali.</i>	<i>Ex quorum obserua- tione conficitur Ars GASTROLOGICA.</i>

*FINIS SYNOPSIS.*

DE P E D I T U,  
eiusque speciebus,  
DISCURSUS METHODICUS.

I.

 *V*m omnis, quæ à ratione suscipitur de re aliquâ Insti-  
tutio, debeat à Definitione proficisci, ut intelligatur,  
quid id sit de quo disputetur: sicuti Author off. i. Paneti-  
um reprehendendo benè monet, sed statim sua ipsius re-  
prehensionis oblitus ibidem negligit: Iccircò de peditibus Metho-  
dicè dissipari principium à definitione ducemus.

II. Atque ut vocabulum primò explicemus, Peditus Gracis  
τόρδη est, unde Saxonicum *vetus*, *Purten* vel *Furten* / quod supe-  
riorib. Germanis levimutatione vel inflexione factū est *Farzen*:  
Continetq; tam flatus cum sono, quām sine sono erumpentes, sicuti  
ex Gemmis Gemmarum, *Sylvis* vocabulorum, *Dasipodys*, *Lexicis*,  
& præcipue fratre Ambroſio Calepino, alijsq; multis authoribus de-  
monſtrari potest. Licet aliqui importuni contra contendant, Illud  
vocabulum proijs, qui cum sono emittuntur, & propriè crepitus  
dicuntur, frequentius usurpari, freti versiculo illo Horatiij Saty. 8.

Nam displosa sonat quantum vesica pepēdi.

In quo tamen versu pedere genericè sumi, quis non videt? Imò id  
necessariò quoque nobis defendendum, nisi Poetæ illi doctissimo &  
& maxime presso Tautologias & superfluitatis vitium impingere  
velimus, qui se pedere clarum crepitum significare putasset, diffe-  
rentia adjectâ, quâ peditus certam speciem, crepitum scilicet expri-  
mere voluit, minimè restringere opus habuisset.

III. Est autem Peditus in genere flatus in imâ alvō conclusus,  
vel ex pituitâ redundantē tepefactâ, & per imbecillum calorem  
resoluta, nondum verò discussa (ut Medici volunt) velex cibarijs  
atq; medicamentis, inflantibus (quod rustici defendunt) potissimū  
natus, per podicem cum aut sine sonitu erumpens, quem ipsum vel  
natura sponte ad sanitatem corporis tuendam expulit, vel Ars

Anatura ministerio ad delectationem produxit.

II. Hac definitio secundum Philosophi doctrinam perfecta est, omnesq; causas & species breviter comprehendit, prout jam ordine videbimus. Atq; ut de genere constat, ita quoque de remoto re eius causa, & quâ flatus ij gignuntur pituitâ scilicet & cibis inflantibus non nihil attenuatis, non est dubium, alias luculenter id demonstraturi.

V. Tepfactam verò & leviter attenuatam materiam esse opportere, constanter asserimus. Nam sicuti in calidissimis locis nunquā pluit, eò quod calor omnes fumos & evaporationes consumit: neq; etiam in frigidissimis, ubi propter intentissimum gelu nulli fumi exhalare possunt: Sed bene in medijs regionib; temperatis, sicuti rectè Bodinus in Meth. Hist. Cùm Scalig: & Carda: differuit. Ita quoq; aestus vel calor justo maior cibum non solum concoquit, & attenuat, verum etiam vapores omnes dissolvit, discutit, consumit. Frigiditas verò cibum neq; concoquit, neq; dissolvit, neq; fumum excitat. Sed bene exiguis calor, qui cum sit imbecillus, ideoq; cibos non perfectè conficeret & excoquere, sed leviter saltem attenuare, ex ijsq; vel pituitâ ventriculi & intestinorum hoc modo multos flatus excitare valet: quam rem magis promovet: sic ibi isti naturalè inflati vivint. Hi namq; exiguocalore excitati fumos multos caliginosos & turbulentos reddunt. Licet hoc idem animadvertere ex comparatione Veris & Autumnicū Aestate & Hyeme: Item ex destillationib. ubi modicus ignis materia destillandi subicitur.

VI. Dicitur porrò in definitione, Per podicem erumpens, Ad differentiam 1. Ruclus vel Eructationis, qua ex eadem materia prodicens supernè egeritur, vel propter vicinitatē loci, vel propter alvi duritiem, aut causam quamquam affectatam. 2. Aliorum flatuum colicorum, &c. & Rugitus vel Latratus vētris, qui est eiusdem generis flatus intra intestina obmurmurans, non dum erumpens, Et est veluti prologus Comœdiae aut prodromus futura tempestatis. Quo præcipue virgines & mulieres laborant, quæ se valide constringunt, ut graciles videantur. Haenam cæcum intestinum sapè præter naturam Fernelio teste flatibus repletum & valde distendit.

habent, quæ intus pugnare non secus ac venti ab aëro in m...  
bus occlusi, &c.

VII. Excludit quoque hæc differentia cum reliquis in definitio-  
ne positis 3. Ventriloquos, vocē expectore mittentes: Si quidē fatus  
noster nō est propriè vox vel interpretatio, neq; etiā ex eadē omni-  
no causa prodit. Ut sic differentia illa sit omnino bona, Modum pe-  
ditus egregiè exprimens, quem & Horat. (d. Sat. 8.) egregius arti-  
fex posuit, apud quem Priapus modum crepandi uoluntatis ei qua-  
dam per natum fissuram id est podicem declarat.

VIII. Superest in definitione causa finalis, quæ est vel sanitas cor-  
poris ab ipsa natura appetita, vel delectatio quedam ab Arte quæ-  
sita. Sed quedam de ea inferius inter effectus commodius dicen-  
tur. Illud saltem hic monendum, Malos fines à nobis meritò exclu-  
sos, siquidem abusus rei interfines nunquam numeratur.

IX. Definitione explicata proximum est, ut ad divisionem ac-  
cedamus, eiusq; beneficio species venemur: Speciebusq; inventis ea-  
rum definitiones & affectiones quoque exponamus.

X. Summa autem pedituum divisio est in Vocales & Mutos. Quæ  
divisio melior, quam illa Grammaticorum divisio literarum in  
Vocales & Consonantes, quæ præterquam quod multis vitijs labo-  
rat, etiam à vñidipmūn id est ex oppositis non est.

XI. Vocales propriè dicuntur CREPITVS, à crepando, quod ij-  
dem per certa sonorum discrimina crepant, quasi imā alvus esset  
crepitaculorum plena, teste Iodoco Villichio in suis de crepitu the-  
sibus, Germanis dicitur, Ein Halllautender Furk.

XII. Est autem CREPITVS nihil aliud, quam peditus cum so-  
nitu ex siccioribus vaporibus genitus. Qui pro varietate causarum  
& adiunctorum est vel magnus, vel parvus. Ille pleni vocalis vel  
vocalis simpliciter & propriè. Hic Semivocalis dici potest.

XIII. Magnus vel Pleni vocalis est Crepus cum sonitu maio-  
re prorumpens, tam propter instrumenta ampla & spatiose (qua-  
lia sunt rusticorū) quam in gentem flatuū multitudinem, quæ au-  
santur vel à ciborū flatulentorū copia, vel nativicoloris ventri-  
culi, & intestinorum imbecillitate, Germanis Ein Baurenfurk.

XIV. Quia acutus ex tempore tormentorum curvum & magna-  
rum vesicarum, aut fistularum organicarum evidentissime illu-  
strari & confirmari potest, & quidem multò melius, quam Aristophanes  
tonitrua & crepitus, ignotum scilicet per ignotius conver-  
sa demonstratione demonstrat.

XV. Hisicut & tonitrua vel Simplices sunt, vel Multiplices. Sim-  
plices sunt, qui uno magno bombo simplici & momētaneo cōstant:  
quos Priapus apud Horat. aptissima similitudine à vesica disrupta  
sumpta explanat. Nam de hoc genere eum ibidem loqui cuilibet  
obviū est dum ait, Nam displosa sonat quantū vesica pepēdi.  
Hi Germanis dicuntur Arcknollen.

XVI. Multiplices (qui DIPHTONGI propriè dicuntur) sunt,  
quando plures bombi magni discreto quidem sono, sed continua-  
tis veluti spiritibus prorumpunt, non aliter, ac si 10. vel 20. Stope-  
tarij sua tormenta manuaria successivè per circuitum disiplodant.  
Germanis Ein verrenchter oder zerbissener Fuchs.

XVII. Fiunt Simplices, quando materia semilarium est partium;  
& copiosa, & foramen per quod erumpunt, satis amplum, vel diste-  
tum, & virtus robusta, uno nixu agens. Diphongi, verò, quando  
amplum quidem satis foramen est, & copiosa etiam materia, sed  
vel inæqualium partiū, mixta ex calidis tenuibus & frigidis cras-  
sis humoribus: vel varium focum habens, & per diversas intesti-  
norū partes diffusa. Vnde etiam nec simul & semel resolvi, nec ijs-  
dem intestinorum cellulis includi, nec uno impetu propulsari po-  
tuit: Sed disertè, incertis & inæqualibus intervallis, donec nihil  
super sit, excluditur, ita ut interdum etiam sonus inæqualiter intē-  
di & remitti audiatur: Siq; accedat virium robur expellentis, ne-  
cessariò multi & magni efficiuntur bombi, qui sonant, papapax,  
papapapax, papapapapax, &c. Sicuti est apud Aristoph. in nubib.

XVIII. Potest tamen & Diphongorum causa in podice esse, quā-  
do videtur is per se quidem amplius esse, & materia æqualis, vt ita  
unum simplicem edere posset: Sed post primum bombum invito  
forsitan elapsum mox podex, non satis tamē, accurate, (vincit enim  
materia naturam) constringitur, wenn man ihn abheissen will.

Vbi ob materia copiam & opyæs uor rursus diducitur & iterum occluditur non nihil, duratq; hæc pugna naturæ cum materia tam diu, donec aut materia omnis elapsa & discussa sit, aut podex vi compressus reliquos flatus tempore commodiore emittendos retinet. Huc referendum est Martial. Epig. lib. 12. dum ait:

Et pedit deciesque viciesque : De quo infra, &c.

XIX. De his autem Diphthongis etiam intelligi potest Priapus apud Horat. all. loc. Siquidem se tam magnum ventris crepitum reddidisse dicit, ut omnes veneficas fugarit. Non enim verisimile est, uno simplicibombo sic territas, ut relictis herbis suis veneficis & serpentibus, tam contento cursu in urbem fugerint. Licet non negemus, primò potuisse simplicem magnum bombum in modū vesicae displosa præmisisse, quē deinde secutus sit diphthongus qui Lammias jam territas, & fugam respectantes planè in pedes se dare coegerit; quod tamen Horat. brevitatis causa & tanquam vulgo notū omisit. Quæ interpretatione nobis loco illi obscurissimo & difficilimo videtur maximè congruēs, licet de ea cū quoquā litigare nolimus.

XX. Talis autem Diphthongus, præsertim, quando ventre raphanis, cepis, allijs, pisis, fabis, & alijs cibis inflantibus qui clarum sonitum efficiunt, probè saburrato, plures brevibus intervallis se invicem subsequuntur, adeò terribilis existit, ut pullos in ovis, fætus in utero quandoq; perimat; Imò & diabolum ipsum fugare solet, sicuti ex multis Historijs accepimus, ex quibus unam exempli causa nobis hic recitasse sufficiat. Nam cum quidam à Dæmone valde urgeretur, ut se ei dederet, assensu tandem si Diabolus tria præstaret. Petijtigitur primò magnam vim auri: Data est à diabolo. Secundo, ut invisibilis fieret: Et ipsum diabolus docuit: Terriuice, cum maximè anxius esset, quidnam peteret quod Diabolus præstare non posset, ei forte fortuna præ nimio metu elabitur diphthongus, ubi ille occasione hac arrepta mox ait ad diabolum: Heus tu diphthongum hunc mihi nodosipotes connecte; quod cum diabolus præstare non posset, & alias isto tormentario bombo terribilis fugeret ille miser è præsentissimo animæ periculo, hoc uno bono ereptus est. Sic legimus, domum dæmonibus infestam bombi beneficio

fici liberatam. Cuius ratio nobis nulla alia videtur, quam illa  
trita: Sic Ars deluditur arte: & Fallacia fallaciam, Cuneus cuneū  
trudit. Itē maius lumen obfuscat minus, & per cōsequens tenebra,  
odores, soni, &c. maiores. Similiū enim eadē doctrina & ratio, &c.

XXI. Licet autem terribilis sit, ut meritò tonitru vocari possit,  
tamen salutaris est, ut postea dicetur. Hinc proverbium natum  
est: Magnum bombum magnō talento estimari.

XXII. Ut plurimum quoq; non ita male fætet, nisi in intestinis  
aliqua putrefactio ex diutissima flatuum retentione suborta sit, ut  
sic loco interclusi cōputrescere incipient, aut ex cibis comestis gra-  
vis odor adsit.

XXIII. Parvus vel SEMIVOCALIS est crepitus cum sonitu mi-  
nore prorumpens, vel propter loci angustiam, (qualis in virginib.  
nonnullis) vel propter exigua flatus copiā. Germ. fortè ein Bröller.

XXIV. Hic rectè dividitur in TENDEM, medium, & Aspira-  
tum. TENVES, sunt semivocales vel crepitus parvi ex sicciori  
& pertenui materia per anum constrictim delati; Qui paellares  
rectè disuntur, Germ. Ein Nonnen oder Jungfräusklein/  
sein so spitzig/das einer die Zähne mit stören möchte.

XXV. Aspirati sunt semivocales vel crepitus parvi veluti strepi-  
tus anserum, ex materia humidiore, ideoq; obscuriore, per angustū  
locum, vel etiam patentem, sed materia pauca & deficiente, ita ut  
exactè strepitus fieri non possit, delati. Quales sunt pistorum. Germ.  
Ein Pfeifer oder Beckenschiß.

XXVI. Medijs media natura quodammodo inter utrosque sunt,  
quando scilicet materia òmoiopēps in quantitate & qualitate se  
mediocriter habens, & jam matura, per podicem nec nimis com-  
pressum, nec rusticè etiam diductum, sine ullavi & natura impe-  
tu sponte elabitur. Germ. Ein züchtiger Bürgerlicher schiß.

XXVII. Ex his perspicue animadverni potest, varietatem sonorū  
in his tribus generibus ut etiam alijs ex tribus causis pricipue exi-  
stere. I. Materia flatus, quoquo siccior erit, eo spiritus clarior,  
quo humidor, eo obscurior: quo magis equalior, & eiusdem na-  
tura, eo simplicior: quo diversarum magis partium, eomultiiso

nantior est, 2- Ex loci natura, qui quò angustior, eò acutior, & tenuior sonus redditur, quò amplior, eò gravior, Quò & faciunt, gracilitas & crassities, inanitas & repletio intestinorum. (Inania enim magis tinniunt) 3. Denique virium robore, quod multum ad hancrē facit. Quò n. propellens natura fortior, eò bombus maior, &c. Horū itaq; omniū varietate, varij quoj existunt soni.

XXVIII. Declarari hac res poterit exemplo tibi arum, tubarum, & fistularum. Crassior enim & amplior tibia graviorem & obscuriorē dat sonum. Macræ verò vel tenues & angusta, clariorem. Mediae, medium. Sic tubam validius inflat, validus & bene buccatus socius, debilius debilis & infirmus à flatibus. Ex fissuris quoq; tubarum, fistularum, &c. egregia & artificiosa coniectura sumitur de crepitibus, cur nunc strideant, nunc non item, &c.

XXIX. Sed hic maximè ardua à VVillichio movetur questio: An in hisce crepitibus possit esse Musica? Ad quam secundum illum Magistraliter & resolutivè respondemus: Esse in diphthongis maximè, non quidem eā, quæ sit voce per eius instrumenta, aut impulsu rei cuiuspiam sonoræ, ut sit in chordis citharae, vel testudinis aut psalterij: sed quæ sit spiritu, sicuti per tubam & tibiam redditur. Quapropter hic non est Harmonica vel Pudunka, sed organica Musica, in qua, ut in alijs leges componendi & canendi non difficeret excogitari & consarcinari possent, ita ut acuti & puellarès primo loco, post illas mediae vel civiles, aniles aut vetulares, ultimo graves vel viriles rusticorum statuerentur, non secus a Diatonico canendi genere per Pythagoream dimensionem dispositum est. Wenn man das Lied machen wolte: Es wolte ein Bawr einen Paltröck schneiden: Ründtē eklich grobe Diphthongisten fein den Bawß darinn halten. Vbi & observanda esset virtus & personarum ratio. Nam ex subtiliore fumo, & angustiore loco acutior, ex nebuloso & spatio ampliori bis tanto gravior effertur sonus, Clariores enim sonitus faciunt qui sicciores flatus gignunt; obscuriores, qui humidiores efficiunt. Quid multis? Alius nihil aliud est quam organon τολυφογον, in quo quis etiam systerna 12. troporum vel potius modorum citrè negotium colligeret.

XXX. Hic tamen notandum erit illud philosophi: Quod omne sensibile excellens suum destruat sensum. Quare hic omnia moderata placere debebunt, non gravis ille sonus & adeo magnus, qualis in Hispaniae montibus & apud cataractas Schaffusienses, qui homines exurdat. Neque enim adeo parvus esse debet, ut eum qui audit, audiendo fatiget. Mistura item sonorum diligenter observanda, tum ne semitonys adeo minute concidantur, ut non percipientur à sensu, tum ne plures acuti vel graves in unisono conscientur, quod insuavem reddit Musicam, nisi quis choralem forie tentare vellet. Modorum denique habendus delectus, nec omnes sine discrimine usurpandi, sed tales, qui suavitatem adjuvent, quales sunt, Lyxoleibius, Hypolyxoleibius, Dorius, Hypodorius. His omnibus observatis, non impossibile est, ex pluribus talibus inter se distantibus concentum fieri, qui exauditus promiraculo habeatur.

XXXI. Quem ut surdus quoque audire possit, lanceam sumat, cuius unum caput ad anum musicantium apponat, alterum dentib. apprehendat; quo pacto contingentia & beneficio omnia sonorum intervalla mirabili dulcedine percipiet, sicuti in simili à Cardano & Baptista Porta Neapol. demonstratum. Quod si surdus iste, vel alius quivis, etiam saporis particeps fieri cupit, musicamq; etiam gustare, arundinem sumere praestabit, cuius capite altero ore apprehenso & spiritu fortiter adducto, voti compose evadet.

XXXII. Hactenus de Vocalibus. Tempus ut nos ad MVTOS conferamus, qui sunt Peditus absque sonitu ex humidioribus quodāmodo & paucioribus flatibus geniti: Et latine propriè dicuntur VISIA, à verbo VISIRE, & Germanis est Geisten, sicuti Iosephus Scalig. in suo Catullo testatur.

XXXIII. Sunt autem vel Sicci, vel Liquidi. Sicci absque crassiore materia pedentium & tacite erumpunt, & Germanis vocantur, Schleicher. Liquidi verò, qui Germanico Idiomate dicuntur Drempler, semper secum trahunt aliquid crassioris materiae vel oleti liquidioris, quod flatum ventris obscuriorē efficit, & locoteli vel fulminis in hisce speciebus est. Facile autem ex subucula velodore pessimo dijudicari possunt. Nam regula ista, quæ de yis propriè

constituta est, semper certa est Liquida. Mutat Syllabam facit an-  
citem: Ein Dreck in den Hosen. Quoreferenda Historia Dia-  
boli, qui cum vellet emittere crepitum, & permerdatis braccis exi-  
ret liquidus mutus, podicis sui perfidiam detestatus indignabun-  
dus exclamavit vulgatum illud: NVS QVAM tua fides, &c. Hinc  
illi, quieiusmodi mutos liquidos præmetuentes bracas prius de-  
mittunt, aut indusum attollunt prudentes appellantur.

XXXIV. Iudicantur tamen hi liquidi salutares, quando sic sine  
sonitu excernuntur, quod indicent, non magnam esse spirituum  
copiam, & excrementa quoque liquidiora, quibus cum flatus illi  
absque periculo excernuntur. Materie quoque simul maturita-  
tem indicant, & exonerandos lumbos, juxta illud:

Maturum stercus est importabile pondus.

Alias si cesseretur, & illicum telo redeant, multum negotij in braccis  
faceant.

XXXV. Atque haec sunt potissimum divisiones à forma desumptae, & per  
dichotomiam, quantum fieri potuit, explicatae; quasi in omnibus  
observata non est, nemini mirum esse debet, cum ipse philosophus  
hanc sè impossibilem, sè absurdam esse, non uno loco dicat. i. De  
part. animal. 6. Top.

XXXVI. Licet autem & secundum materiam flatum, vel potius  
efficientem eorum causam eos dividere in Ceposos, Allatos, Ra-  
phanatos, Brassicatos, Farciminatos, Pisones, Lentulos, Cicerones,  
Polentarios, &c. Item ex Adiunctis, In Adfectatos & in voluntaria-  
rios. Sed hi ad priores reduci possunt. Et ex postrema divisione Ad-  
fectatus inter probos viros vix tolerabilis est, Nisi inter contuber-  
nales, & qui in eodem lecto tenentur, qui sonorū crepitū risis moventi  
aut se invicem vexandi gratia non semel adfectant, adeoq; clá-  
rè crepant, ut anea tormenta quis putet. Interdum vero podice  
subucula occluso, crepitum aut visum, sensim evolantes, candela  
ad mota incendunt, qui pulveris flagrantis instar ad æthera abit.  
Interdum vero Mutos manibus excipiunt, & sodalis naribus ex  
improviso dijudicandos adponunt (Pfun Teuffel. Vulgo  
Ein warme Lochtauhe.) quod tamen minus ferendum videtur.

Alter vero involuntarius, qui scilicet nolentibus nobis, aut resupinantibus aut se curvantibus aut etiam ex magno quandoq; risu aut metu erumpit (qualis ille de quo supra) veniam mereri potest.

XXXVII. Expositis jam definitionibus earumq; causis; de effectibus quog; non nihil monendum est, qui licet ratione causarum varijs sint & dissimiles, ad duotamen summa genera reduci possunt, Bonorum & Malorum, ad quos tamen supremos fines Stoici, & hos secutus Cicero suas de finibus disputationes dixerunt.

XXXVIII. Boni per se semper sunt & salutares peditus omnes, quatenus scilicet homo illis liberatur. A pluribus enim morbis sanant, ab Hypochondriaco dolore furore, colicâ, torminibus ventris, Iliaca, &c. Sicuti contra, quando intrò conduntur, & revolvuntur, veloccluduntur, flatus illi caput replet, & propter exhalationum multitudinem imaginem corrumpunt, Melancholicos, Phreneticos, faciunt, alijsq; gravissimis morbis hominem implicant. Hinc defluxiones in capite, ex humorum Meteororum destillatione, quæ in subiectas partes derivantur, & tusses & catharros excitant, sicuti Medicis frequenter inculcant. Quid multis? Non potest quis justam in studijs quarumlibet rerum operam ponere, nisi idem omnipandiculatione, omnibusq; flatulentis torminibus & solutus & liberatus fuerit. Melius igitur vel maximo strepitupedere, quam Iliacos, aliosq; gravissimos dolores perferre.

XXXIX. Quæ & ratio Imp. D. Claudium (sic à claudendo dictum, per antiphrasin, quasi minimè claudentem) nunquam satis lundatum movit, ut edicto veniam daret ijs, qui in convivio efflatū & crepitum ventris emitterent. Vedit nimirum ter max. ille, deg̃ hominum salute optimè meritus, maximeq; sollicitus Imp. quosdam nimis civiles (qui mori potius deligerent, quam tale quid committere) ex tormentis vel Iliacis vel colicis adeo torqueri, ut vitam cum morte commutarent, sicuti Suetonius, Dion & alij historici testantur, Ex quibus constitutio illa, quæ alias in Codice, sicuti aliae multæ, Cujacio teste, desideratur, restituenda erit.

XL. Non est autem quod hac cum civilitate morum pugnare quis rigide contendat, siquidem expuriore philosophia contrarium a-

perire probari possit, Stoicorum præsertim, quos Cicero ipse & omnes  
saniores philosophi in beatæ uitæ ratione tradenda reliquis longè  
anteponunt.

XLI. Hi igitur inter salutaria vitæ præcepta, Ructus & flatus libe-  
rose esse debere non tantum præceperunt, sed & gravissimis argu-  
mentis convicerunt, quæ Cicero in quadam ad Pætum Epistola (9.  
Famil. 174.) refert & strenuè defendit, (licet in Offic. in hæresin ne-  
scio qua falsa honestatis specie relabatur) inter quæ hoc præcipuum  
est: Quod omnia & agenda & facienda sint, sicuti naturæ du-  
ctus exigit. Nec est quod hic quis de pudore multum garriat, qui  
etiam si hic locum haberet, quod tum minimè concedimus, eum ta-  
mè devorare utile esset, ut corpus redimeretur. Cuius si quis prava  
ex cōsuetudine nihilominus adeo magnā curā habet, potest crepi-  
tū tussi vel pedū aut mensa strepitu, vel cane adhibito dissimulare.

XLII. Quò pertinet & illud quod insubitis maximi usus esse se-  
pius compertum est, Natum scilicet compressio, podicis musculo  
summo simul nisu contracto & constricto. Sed hoc remedio qui uti  
volet, diligenter cavere dicunt, ne illi eveniat, quod Priapo apud  
Horatium, qui diffissa ut ait nate maximum bombum emiserat.  
Et quod Aethoni apud Martialem, qui cum subito ventris tor-  
minibus obortis & flatibus ingentibus, Iovem compressis validè  
natibus salutaret, corpusq; veterum more precaturus resupinat-  
set, gravissimè pepedit. Versus Martialis, lib. 12. Epig. 78. hi sunt:

Multis dum precibus Iovem salutat,  
Stans summos resupinus usque in vngueis,  
Æthon in capitulo pepedit.  
Riserunt comites. Sed ipse Divum  
Offensus genitor, trinoctiali  
Affecit domi cænio clientem.  
Post hoc flagitium misellus Æthon,  
Cum vult in Capitolium venire,  
Sellas ante pedit Patrioclianæ,  
Et pedit deciesque viciesque.  
Sed quamvis sibi caverit crepando,  
Compressis natibus Iovem & salutet;  
Turbatus tamen usque & usque pedit  
Mox Æhon, deciesque viciesque.

Ita nimirum restituendum carmen illud antiquissimi libri manuscri-  
ptus qui Romæ in Vaticano extat, auctoritate probatur.

**XLIII.** Sed hīc posset quis non immerito querere: Si quidem tamen salutares sunt peditus, An etiam arte juvari possint, vel debeant? Et respondemus magistraliter, Quo ad expulsionem malijam contracti, quod sic. Ad quod duplicitia sunt remedia, 1. Qua intra adhibentur, ut sunt Medica illa ex Aniso, Fæniculo, Ledoaria, &c. calidaq; omnia, qui flatuum expulsioni maximè inserviunt. 2. Quæ foris adhibentur, ut clysteres, suppositoria, &c. Quò pertinet & modus ille, ridiculus quidem, sed non contemnendus, quando quis instar canum mingentium pede uno, quod muscularum motus adjuventur, levato, & natibus diductis, crepitum maximo bombo expellit.

**XLIV.** Vvas verò & fucus recentes, pisā, aliaq; legumina, item raphanos, allia, cepas, & id generis flatulentula, & quæ facile concipi non possunt, edere, aut mustum bibere, vel venere multa uitæ, quo crudo stomacho crepitus ventris adaugeantur, & luculenta sonitrua edantur: Id non est inter medicamenta mali, sed potius facere malum, ut eveniat bonum. Cuius eventus cum sit dubius, nescio alicui consulere, ut hoc tenet, nisi forsitan certamen aliquod joculare instituere, aut musicam quampiam venustam adornare vellet. Tunc enim arte rem juvare permittimus, quò citò & expeditè cantores pedere possint.

**XLV.** Atque hactenus de bonis Effectibus. Sequitur de Malis, qui sunt odores & factores pessimi, Indusij signatio, Braccarum implementio quæ hospites interdum à mensa fugeret; in liquidis mutis præser-tim. Quia tamen effectus omnes, non sunt perpetui: Nam non semper, nec omnibus speciebus accidunt: Ita ut boni Effectus per se, & proprijs sunt summo generi, eiusq; speciebus omnibus. Mali autem saltem accidentarij.

**XLVI.** Potest quoque inter bonos & malos quidam effectus esse interjectus & medius velut rubor in facie ex verecundia ortus, qui prout in subiectum cadit, nunc Bonus, nunc malus est, Media scilicet naturæ, sicuti Mercurius, qui bonis planetis sociatus, bonus est, malis, malus. Ita quoquerubor, prout in juvenem aut senem cadit. Nam in illo laudatur, in hoc vituperatur.

**XLVII.** Ceterū sicutibonos effectus promovere docuimus, ita quoque malos caverē si quis velit, duplex itidem habet remedium, i. In Medicaminibus intrō assumptis, de quibus supra. In clysteribus & suppositorijs, Quorum omnium beneficio quis octiduo ante, quām ad convivium iturus est, se satis sufficienter evacuare potest.

**XLVIII.** Illud inter salutares monere ferè oblii sumus, prodesse simul mejere & pedere, ex rationibus medicis multis hic non allegandis, & versiculo vulgatissimo:

Mingere cum bombis, res est gratissima lumbis.

Vnde quoque natum proverbium sine flatu mingere, nihil aliud esse, quām proficisci Romam, & non videre Papam. Licet plerumq; prius mejatur, quāmpeditur. Nam dum unum alteri auxilio est, interdum flatus prius vesicam comprimentes urinam expellunt.

**XLIX.** Restat, ut de signis dicamus. Quæ vel Apod. etica sunt, vel necessaria, vel probabilia. Apodictica, in quibus causa præsense effectū citò subsecuturum demonstrat: quale signum est Raphanorū, ceparum, &c. efsus. Necessaria sunt, quando unus effectus jam secutus alterum quoque simul prodijſſe demonstrat, qualia sunt, Odor malus, sonus stridor, &c. Probabilia, quæ non semper nec omnibus speciebus accidunt, ut contractio, rugitus vellat ratus ventris, tussis, pedum strepitus, &c.

**L.** Quæ signa si quis probè observaverit, artem ex ijs condere ASTROLOGICAM, calendariag, de Peditibus certissima summa cum vulgi admiratione scribere poterit.

Vberio-

Überioris exercitij gratiâ,  
Sequentia addimus problemata.

1. Væritur, An vbi multi flatus emittuntur, aliquid decedat Animæ?

Q (Respondemus. Nihil quidem anima ipsi per se decedere, vt quæ sit ameritos, sed Anima proximo & propriissimo instrumento, vitali scilicet spiritu. Et hoc tam non semper sed quando in magna copia, simul emittuntur. Tunc enim sicut in omni copiosiore evacuatione accidit vires debilitant resolvendo & consumendo vitales spiritus. Et ideo Musicantes illi perpetuò refocillandi erunt musto, cepis, raphanis, & simibus.)

2. An Horologia possint fieri ex crepitibus?

Resp. Quod sic, cum sint motus numerantes tempus secundum prius & posterius.

3. Cur Crepitus Imperatoribus assimiletur?

Resp. Quia sicuti Imp. summam habet in subditis vita & necis potestatem, ita quoque crepitus, aliquæ servare & perdere possunt. Hinc Versus Vincentis Obsopæ:

Et crepitus multos nequens erumpere perdit;

Et servat, balbum quando dat ore sonum.

Ergo si servat crepitus, iugulari q̄, sonando:

Regibus hunc magnis quis neget esse parem?

4. An hodie omnes peditus sint Legitimati?

Resp. esse ex novis constitutione D. Claudii, que generaliter loquendo nullibi iure reperitur correcta aut restricta. Quod bene notent practicantes iuris, & inter observationes cancerales referant.

5. An personæ pedentis dignitas aliquid addat authoritati peditus? Exempli gratia, vtrum peditus Papæ dignior sit, quam gregarii alicuius sacrificuli, ambobus eadem quantitate & qualitate existentibus?

Resp. Quod sic. Nam Papa aut Imp. alicuius crepitū nemo reprehendit, sed omnes salutis acclamatione approbant. Quod secus in aliis inferioribus qui interdum etiam ob id, contra omnia tamen iura, multantur. Nam iura natura immutabilia sunt, & prava consuetudine contraria minime mutantur.

6. An peditus arte chymica distillari possint, ita, ut educatur Quinta pedituum essentia?

Resp. Maximè. Sed cum spiritus sint, siccirco Recipiente amplio, quali suntur in conficiendo oleo vitrioli, & podice arctè applicato excipiendi sunt maxima copia, deinde condensandi in oleosam substantiam sive balsanum, qui postea per circulationem in sole perfici debet. Et fiet Quinta essentia maximarum facultatum.

7. In Musicorum gratiam quæritur, quot sint genera crepitum, secundum differentiam soni.

Resp. 62. Nam sicuti Cardanus ostendit, Podex quatuor modis simplicibus crepitum format, Acutum, Gravem, Reflexum, & liberum: Ex quibus compositis sunt modi 58. quibus additis quatuor simplicibus erunt ex prolationis differentia 62. crepitum genera. Quærolet computes.